

Johann Sleker Johannes Luderus

## **De Malo Cum Annexis Corollaris De Mundo Et Creatione Eius**

Rostochii: Pedanus, 1613

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729136329>

Druck Freier  Zugang



F. Slevor.  
B. U. phil. 1613.



014

D. T. O. M. A.

HIEROTHEI ET DIONYSII

*ex libro de divinis nominibus cap. 4. verba,*

# DE MALO

CUM ANNEXIS COROLLARIIS

DE MUNDO ET CREATIONE EJUS

*Disputationi subjicit*

M. JOHANNES SLEKERUS

Ph. P. P.

RESPONDENTE

IOHANNE LUDERO

Uterschemio-Holsato.

Haebitur disputatio in auditorio Philosophico  
die 20. Januarij.



ROSTOCHII


*Typis exscripsit Joachimus Pedagogus*

ANNO M. DC. XIII.

DE MALLO  
M. JOHANNES SELEXUS



ROSTOCHI  
ANN. M. DC. LIII



*Hierothei Sanctissimi viri verba, ex Dionys. quod malum non sit  
 quicquam quod est, nec sit ex eo quod est, nec in ijs, quæ sunt. In-  
 terpretibus Perionio: & Marsilio Ficino.*

T H E S I S I.



Na quedam vis simplex est, seipsam movens ad unificandam  
 quandam comixtionem, ab ipso bono, usq; ad extremum  
 eorum quæ sunt, quæq; ab illo rursus, ordine quodam, per  
 omnia ad bonum *ex se, per se, & à se* in orbem reflectitur;  
 semperq; ad seipsam eodem modo revolvitur.

2. Sed dicat hic aliquis, Si bonum atq; honestum  
 omnibus amabile, oprabile, atq; diligendum est (experit  
 enim illud etiam id, quod non est) atq; idipsum est, quod formam facit eorum  
 etiam quæ forma carent, (*Mars. Ipsum bonum est, quod etiam informibus formam  
 facit.*) in eoq; etiam id, quod non est, modo quodam essentia superiore (*ratio-  
 ne quadam supersententiali*) & est, & dicitur, cur multitudo demonum bonum  
 honestumq; non experit? sed materiæ addicta, ab eodem statu, quem angeli in  
 boni appetitione obtinent, prolapsa, causa est malorum omnium, & sibi & alijs,  
 quæ perverti depravariq; dicuntur? aut quomodo genus demonum, quod à bono  
 plane in lucem prolatum est, speciem boni non præfert? aut quomodo bo-  
 num à bono factum, mutatum est? & quid est quod illud depravavit? Quid-  
 nam etiam malum est? Et ex quo principio constitit? Quomodo bonus illud  
 proferre in lucem voluit? quomodo cum voluit, potuit? Si ex alia causa est  
 malum, quæ alia eorum quæ sunt, præter Bonum, causa est? quomodo etiam  
 extante providentia est malum, vel omnino non tollitur? Quomodo etiam  
 aliquid eorum quæ sunt, præter bonum illud appetit?

*Dubitaciones de  
 malo.*

1. *Quantum ad  
 demones.*

2. *Quantum ad  
 communem mali  
 rationem.*

*Solutio.*

*Malum non est  
 aliquid secundum  
 naturam existens.*

1. *Quia non est  
 causatum.*

*Neq; est causa.*

3. Atq; hæc quidem ejusmodi dubitans forassis dicit oratio. Nos au-  
 tem ab eo petemus, ut rerum veritatem aspiciat: primumq; hoc non dubitabi-  
 mus dicere, *Malum non esse ex bono*: ac si ex bono est, non esse malum. Neq;  
 enim ignis est refrigerare: nec boni, non bona proferre in lucem.

4. Si etiam ea, quæ sunt omnia, ex bono sunt (natura enim boni est,  
 proferre in lucem, ac conservare: mali autem inter timere & perdere) nihil  
 eorum quæ sunt, ex malo est: ac ne ipsum quidem malum erit, siquidem  
 etiam sibi malo esset.

5. Quod nisi ita est, malum omnino malum non est, sed partem quan-  
 dam boni, qua plane est, habet.

6. Et si ea quæ sunt, pulchrum, sive honestum & bonum expiunt, atq;

A

omnia

2. *Omne existens  
desiderat bonum.  
Malum non: E.  
non est existens.*

omnia quæ faciunt, boni, quod videtur, causa faciunt; omneq; rerum institutum, sibi habet bonum principium ac finem propositum (nihil enim mali naturam intuens facit, quæ facit) quomodo erit in ijs, quæ sunt, malum? aut quomodo erit omnino, cum careat ejusmodi bono appetitu?

7. Et si, ea quæ sunt, ex bono sunt omnia; ipsamq; bonum Entibus est superius, est siquidem in ipso bono etiam illud, quod *non ens*: malum autem non est. aliter non plane est malum, nec id quod non est. Nihil enim erit id, quod nihil est omnino, nisi in bono, ratione quadam essentia superiori dicatur.

8. Bonum igitur & ipso simpliciter *Ente*, & ipso non *Ente* multo prius in seipso consistit. Malum autem nec in ijs quæ multa sunt, sed eo etiam quod non est, remotius est; abestq; plus à bono, & minus est essentia. (*Vetus hoc modo: malum autem neg, in existentibus, neg, in non existentibus: Sed etiam ab ipso non existente magis absistens quàm remotus à Bono, essentia.*)

*Malum esse pro-*

*1. Virtus à vitio  
non differret.*

*2. Malum non re-*  
*pugnaret virtuti.*  
*Sed repugnant. E.*

9. Unde igitur est malum? dicit aliquis. Si n. malum non est, virtus & vitium idem sunt: & universa generalisq; virtus, idem quod universum vitium. Ac virtus, quæ ad partem accommodatur, idem quod vitium ejusdem generis. Aut ne id quidem, quod virtuti repugnat, erit malum. Atqui contrariæ sunt, temperantia & intemperantia: justitia & injustitia.

10. Nec vero eas dico contrarias esse ex justo & injusto, & ex temperante & intemperante: Sed ante etiam repugnantiam quæ extrinsecus inter eum, qui virtute præditus est, atq; contrarium, existit, multo prius in ipso animo vitia à virtutibus omnino discrepant.

*Aliis bonum sibi  
ipso adversaretur.*

11. Et cum ratione discordant perturbationes. Ex eoq; necesse est, dari aliquid etiam malum, bono contrarium. Neq; enim sibi bonum contrarium est, sed ut ab uno principio, unaq; causa profectum, communiōe, conjunctione, amicitiaq; gaudet.

12. Nec minus bonum est majori contrarium. Nec enim id quod minus est calidum aut frigidum, est contrarium ei quod magis est hujusmodi. Est igitur in ijs quæ sunt, & est aliquid repugnatq; bono malum.

*Quod est corru-*  
*ptum existens*  
*tium, annon est*  
*generatum exi-*  
*stentium?*  
*Responsio.*

13. Quod si interitus & quasi corruptela, est eorum quæ sunt, non tamen hoc exterminat malum, ex eorum, quæ sunt, finib. sed erit etiam illud aliquid, & revera originem rerum efficit. Annon saepe hujus rei interitus, illius ortus est? perrinebitq; malum ad *Totius* absolutiōem, & per se faciet, ut hæc universitas ne inchoata, minusq; perfecta sit.

14. Ad hæc autem respondebit vera ratio, *Malum*, quatenus *malum* essentiam nullam aut originem efficit, sed tantum depravare atq; interimere, (quantum in ipso est) eorum quæ sunt, essentiam & naturam.

15. Quod si quis illud ortus rerum efficientem causam esse dixerit, atq; hujus

hujus rei interitum alteri ortum dare: hoc verè respondendum; illud non quatenus interimit, ortum dare, sed quatenus quidem interitus & malum est, tantum interimere & depravare: ortum autem atq; essentiam, boni causa fieri. Et esse malum, interitum quidem per se, originis autem autorem propter bonum. Et quatenus quidem malum est, neq; illud esse quicquam, neq; bonorum causam efficientem esse: Sed boni causa, & esse, & bonum esse, & bonorum efficientem causam.

16. Quid ne erit quidem *idem* eadem ex parte bonum & malum: neq; ejusdem interitus & ortus eadem ex parte vis; nec ipsa vis, aut ipse interitus.

17. Ipsum enim *malum*, (*in se videlicet*) neq; est, neq; bonum est, nec originis autor est, neq; eorum quæ sunt, & bonum efficiens. (*sed bene tamen nec quæ est mala, quatenus habet aliquid de Bono.*)

18. Bonum autem quibus cunq; perfecte insit, ea perfecta facit, & simplicia, atq; integra bona: Quæ vero minus ea participant; ea & minus perfecta sunt bona, & permixta propter boni privationem. Nec malum omnino est, aut bonum, aut boni efficiens: sed quod magis aut minus bono vicinum est, id pro ipsa appropinquandi mensura, bonum erit: quandoquidem perfecta bonitas, quæ per omnia diffunditur, non solum ad optimas essentias, quæ eam circumstant, pervenit; sed etiam ad extremas pertinet; ita tamen ut illis quidem omnino præsens sit; his autem inferiori quodam modo, alijs autem extremis; ut quicq; eorum quæ sunt, ejus potest esse particeps.

19. Aliq; bono plane participant; alia autem magis & minus eo privata sunt: nonnulla vero tenuem obscuramq; habent boni communionem, & alijs minimum bono participant. Si enim non pro rata portione in unoquoq; inesset bonum; profecto ea quæ sunt, divina maxime & prima, eundem ordinem & locum, quem ultima obtinerent.

20. Quæ autem etiam fieri posset, ut in boni societatem, uno modo venirent omnia, cum apta non sint ad totam ejus communionem? Nunc autem hæc est potentia Boni, præstans magnitudo, quod & ea, quæ privata sunt, & privationem sui corroborat, ut omnino in ipsius veniant societatem & communionem.

21. Quod si non dubitandum est fateri verum, ea etiam quæ illi contraria sunt, ejus vi & sunt & repugnare possunt.

22. Aut potius ut summam dicam, ea quæ sunt omnia, quatenus sunt, & bona sunt, & à bono. Quatenus autem privata sunt bono; nec bona sunt, nec subsistunt.

23. Nam in cæteris quidem qualitatibus (v. g. calore, frigore) ea, quæ calcata sunt, remanent etiam cum calor evanuit. Multa etiam eorum quæ sunt, cum vitæ & mentis sint expertia, Deusq; ipse, cum ab essentia secretus sit, superessentiali ratione consistit, (ratione quadam est, quæ superat rationem essentia.)

*Bonum est causa rerum bonarum omnium. Et Entia omnia, participant bono.*

*Virtus boni qualis in malo.*



Et uno nomine, in alijs quidem omnibus, etsi habitus abierit, aut si ne fuerit quidem omnino, res ipsæ sunt, & constare possunt.

24. Quod autem omni ex parte bono privatum est, id nusquam ullo modo fuit, aut est, aut erit, vel esse potest.

25. Velut intemperans, etsi privatus est bono, per cupiditatem, quæ à ratione averfa est: neq; in eo quidem est nec verè appetit. Est tamen boni particeps, exigua quadam parte videlicet amicitia & conjunctionis (quæ sunt bona.)

26. Ira etiam, boni est particeps hoc ipso, quod movetur, cupitq; ea quæ mala videntur, ad id quod bonum videtur, dirigere & convertere. Is quoq; qui deterrimæ scelestissimæq; vitæ cupiditate ducitur, boni particeps judicandus est, quod vitam desiderat, & eam quæ ei optima videatur: hoc ipso inquam quod vitam appetit, & optimam vitam sibi propositam habet, boni est particeps.

27. Ac si plane omniq; ex parte bonum sustuleris; nec essentia erit, nec vita, nec appetitus, nec motus, nec quicquam aliud.

28. Ergo quod corruptionē generatio sequatur, non est id vis mali, sed minoris boni presentia. Quemadmodum morbus quoq; est defectio constitutionis, non omnis quidem (si enim hoc sit, ne morbus quidem ipse subsistet) sed remanet estq; nonnihil morbus, quatenus essentiam habet, & minimum ordinem.

29. Quod enim omnino expers est boni, id neq; aliquid est, neq; in ijs, quæ sunt. Quod autem mixtum est, propter bonum, in ijs est, quæ sunt, & aliquid est, quantum boni est particeps. Aut potius eatenus erunt ea, quæ sunt, omniaq; magis vel minus sunt, quatenus bono participant.

30. Nam quod ad ipsum etiam esse attinet: quod nusquam ullo modo est, id non erit etiam. Quod autem alicubi quidem est, alicubi autem non est, id, quatenus ab eo, quod semper est, deflexit, non est: Quatenus autem status (esse) est particeps, eatenus est: atq; status ejus omnino, statusq; privatio & obtineretur, & conservatur.

31. Malum etiam quod omni ex parte à bono defecit, neq; in ijs, quæ magis bona sunt, erit, neq; in ijs, quæ minus. Quod autem partim bonum est, partim non est; id quidem alicui bono est contrarium, non tamen toti: Sed tenetur etiam ipsum boni communiōne: & quandam quasi essentiam donat etiam privationi sui, absoluta sui communiōne.

32. Si enim omnino amissum sit bonum; neq; omnino bonum aliquid erit, neq; mixtum quicquam; neq; ipsum malum. Si enim malum est bonum inchoatum, & minus perfectum; profecto per universam boni absentiam, & minus perfectum, & perfectum bonum aberit.

33. Tumq; demum erit malum ac videbitur, cum alijs quidem malum est, quibus est contrarium; ab alijs autem ut bonis pendebit distinctum. Fieri enim non potest, ut eadem per eadem, inter se contraria sint in omnibus.

.No. 11

34. Non est igitur existens aliquid *Malum*: quin ne in ijs quidem est, quæ sunt. Si enim quæ sunt, à bono sunt omnia: & in omnibus quæ sunt, inest, omniaq; continet bonum: aut non erit malum in ijs quæ sunt, aut in bono erit. Atqui in bono non erit. Neq; enim in igne frigus. Nec malum in se ullum admittere potest, quod etiam malum reddit bonum.

35. Sin autem fingatur in malo bonum esse, quonam pacto inerit? Si quidem ex eo ponatur existere; id absurdum est, nec fieri potest. Non enim potest, ut divina scripta tradunt, arbor bona fructus malos facere, nec econtra.

36. Sin autem bono malum ex seipso non inest, an forsan erit profectum ab alio principio & causa? Tum aut malum ex bono erit, aut bonum ex malo. Aut certe, si hoc fieri non potest, ex alio diversoq; principio & causa, tum Bonum erit, tum malum. Nulla enim *duo* sunt principium, sed *menas* est principium duorum omnium.

37. Tameñ absurdum est consisti, ex uno eodemq; duo quædam, profectus inter se contraria proficisci: atq; ita ipsum quoq; principium non esse simplex penitusq; unum; sed divisum atq; biforme, contrariumq; sibi atq; repugnans.

38. Rursus autem neq; possibile est, duo rerum esse principia, & invicem, & in universum contraria atq; repugnantia. Si enim id concedatur; ne Deus ipse quidem à detrimento molestiq; procul aberit; siquidem non delit, quod ipsum quoq; perturbet.

39. Præterea cuncta erunt inordinata, semperq; pugnantia. Atqui bonum ipsum amicitia quadam omnia conciliat: à sanctisq; Theologis & pax & pacis autor appellatur. Quamobrem bona omnia, sibi invicem amica sunt, & consona, ex una nimirum vita pullulantia: ad unumq; ordine certo disposita bonum.

40. Atq; sicut eodem quasi generis cognomento, ita conditionis similitudine & affectione quadam mansera conjuncta. Quapropter malum neq; est in Deo, neq; divini commercij quicquam habet.

41. Sed nec ex Deo malum est. Aut enim concedendum erit, Deum non esse bonum: aut si procul dubio bonus est, bene facit efficitq; bona. Neq; tantum ita; ut aliquando tantum, vel aliqua bona faciat: interdum non agat, vel non omnia. Alioquin permutationem conditione ejusmodi pateretur, diversitatemq; in seipso, circa id quod augustissimum est, videlicet causam.

42. Jam vero siquidem in Deo bonum ipsum sua substantia est, si permittetur ex bono, Deus aliquando quidem erit, aliquando non erit. Si autem participatione bonum habeat, habebit ab alio: & aliàs id habebit, aliàs non habebit.

43. Malum ergo neq; est ex Deo, nec in Deo, neq; simpliciter, neq; per tempus.

44. At ne in Angelis quidem est malum. Si enim angelus speciem boni præferens, divinam exprimit bonitatem: existens videlicet per participationem,

*Non tantum non est aliquid per se existens, sed ne quid in existentibus est, ut pars vel accidens.*

*Neq; enim est in Deo.*

*Neq; ex Deo.*

*Neq; in angelis.*

id secundo gradu, quod secundum causam est in se primo illud, quod exprimitur certe imago Dei est angelus, & occulti luminis declaratio, & speculum purum, nitidissimum, minime coinquinatum, immaculatum, incontaminatum; totam in se suscipiens, (si dictu fas est) pulchritudinem speciei ipsius figuræq; divinæ: atq; in seipso, (quantum fieri potest) sincere declarans secretissimi illius silentij bonitatem.

45. Itaq; nec angelis quidem inest malum: Nisi forte quis dixerit, propterea malos esse, quod puniant peccatores. Sed eadem ratione castigatores errantium mali erunt. Similiter & sacerdotes illi, qui prophanos à divinis mysterijs arcunt.

46. Sed profecto non est malum, meritis affici pœnis. Imò fieri pœnis dignum. Neq; rursus malum pro merito à sacris arceri, sed contaminatum prophanumq; evadere, ideoq; nec aptum qui admittatur ad pura.

*Neq; in demonum  
natura.*

47. Neq; rursus dæmones sunt natura mali: Alioquin nec essent ex bono; nec essent prorsus aliquid. Atqui nec ex bonis, natura mutati sunt in malos: neq; semper exitere mali.

48. Præterea, utrum sibi, an alijs mali sunt? Si forte sibi ipsis, seipso perdent. Sint autem alijs. Sed quonammodo corrumpeates judicantur mali? aut quid corrumpeates? Substantiamne, aut potentiam, vel actionem? Siquidem essentiam; primo quidem non præter naturam id efficient. Quæ enim per naturam incorruptibilia sunt, non corrumpunt; sed quæ corruptioni sunt obnoxia.

49. Deinde, ne id quidem omnibus & omnino malum est. Jam vero neq; quicquam eorum quæ sunt, perimitur, quantum est essentia & natura: Sed ipsa congruentiæ commensurationisq; proportio, propter ordinis naturalis defectum, jam ita debilitatur, ut eodem modo permanere non possit. Si enim integra foret, & corruptionem ipsam, & subiectum ejus è medio tolleret: essetq; corruptio ejusmodi, sui quoq; ipsius interitus.

50. Quamobrem quicquid *Malum* dici solet, non est omnino malum, sed deficiens bonum. Quod enim experts omnino boni fingitur, nec usquam aliquid erit.

51. Eadem quoq; de potentia actionisq; corruptela, ratio est.

*Quid malum in  
demonibus.*

52. Proinde quonam pacto Dæmones, cum à Deo sint facti, mali sunt? Nempe bonum bona producere & statuit. At malos appellari? dicit aliquis. Sed, non qua ratione sunt *aliquid*, mali sunt. (Ex bono enim existunt, bonamq; essentiam nacti sunt.) Sed qua ratione *non sunt*: quippe cum ad servandum principium suum defecerint, ut divina testantur eloquia.

53. Et dicage in quonam dæmones praves esse dicimus? nisi in carentia habitus & operationis circa divina bona.

54. Præterea si *natura* mali sunt dæmones, an semper mali fuerunt? At *malum* instabile est. Ergo si semper eodem modo se habent, mali non sunt.

Semper

Semper enim idem esse, boni proprium est. Sin autem non semper extitere mali, non sunt ipsa natura pravi, sed indigentia quadam angelicorum bonorum.

55. Neq; boni sunt expertes, quatenus sunt, vivunt, intelligunt, habentq; nonnullum desiderij motum. Pravi vero censentur, quoniam circa naturalem operationem sunt invalidi. His itaq; malum est, averfio quadam, excessusq; & discessus, ob quem bonis sibi convenientibus potiti non fuerunt: Defectus, imbecillitas, infirmitasq; virtutis, sui perfectionem conservaturæ, fugaq; & casus.

56. Quid præterea in dæmonibus malum est? furor irrationalis, concupiscentia demens, imaginatio præceps. Verum ista quanquam dæmonibus insunt, non tamen omnibus, nec omnino; neq; ipsa secundum se mala sunt. Nam & in alijs animalibus, non hæc habere, sed his carere, malum est. Horum vero habitus servat esse, & efficit animalis naturam hæc habentem.

57. Quamobrem dæmoniaca gens, non quatenus secundum naturam *Est*, sed quæ *non est*, mala existit. Neq; bonum illis traditum, totum est permutatum, sed ipsi exciderunt à dato *totò bono*: & data illis angelica dona, nequaquam ipsa mutata esse dicimus; sed sunt & integra & splendidissima. Quamvis ipsi minime cernant, quippe cum vires eas, quibus bona videri possint, jam occluserint.

58. Quapropter hoc ipso quod sunt; ex bono sunt, atq; boni; Et pulchrum bonumq; desiderant, dum videlicet *esse*, vivere, intelligere (quæ quidem existentia sunt) desiderant: sed privatione quadam, & fuga casiq; à convenientibus sibi bonis, mali cognominantur. Suntq; mali, qua parte pulchri non sunt; & *quod non est* appetentes, malum appetunt.

59. At animas quispiam dixerit esse malas? Si hoc igitur, quia conjunguntur malis quodam providentiæ conservationisq; officio, has aliquis suspicetur malas? objiciendum est, hoc utiq; non esse malum, sed bonum, atq; ex ipso bono proveniens, à quo etiam id, quod alioquin malum est, redditur bonum.

*Malum quomodo  
in animabus.*

60. Sin autem animas quoquo modo depravari dicamus, in quonam depravantur? Nisi in quodam affectionum actionumq; bonarum defectu: & quoniam aberrantes à fine, ob infirmitatem propriam dilabuntur.

61. Jam vero circumfusum quoq; nobis aërem obtenebrari dicimus, defectu videlicet & absentia luminis. Ipsum vero lumen, semper est lumen, quod etiam illuminat tenebras.

62. Quamobrem nec in dæmonibus neq; in nobis ita malum est, quasi aliquid existens: sed tanquam defectus aliquis, per quem propriorum bonorum consumatione caremus.

63. Neq; rursus in animalibus brutis est malum. Si enim iram, concupiscentiamq; sustuleris, & cætera: quæ etsi mala dicuntur, non sunt simpliciter suapte natura mala. Leo hercle fortitudine superbiat; illa amissa, desinet esse Leo. Canis quoq; blandus effectus omnibus, non erit canis: Custodire enim latratu suo, canis est proprium; domesticos admittere, alienos propellere.

*Malum in ani-  
malibus non est  
aliquid his natu-  
rale.*

Quamobrem

Quamobrem conservare naturam, non est malum. Imò vero malum est natura corruptio, debilitaq; naturalium qualitarum, & actionum viriumq; defectus.

64. Tum vero si omnia quæ naturaliter generantur, certis temporum intervallis perfectionem suam ordine naturæ debito accipiunt: Ergo *imperfectura esse*, ante illud statutum tempus, est naturale. (*Ut intelligas non omnem imperfectionem esse præter naturam, sed illam tantum esse malam, qua tollitur perfectio debita secundum illud tempus.*)

*Neg. in natura  
tota.*

65. Neq; rursus est in tota natura malum. Si enim naturales rationes omnes ab universali natura dicuntur, nihil est illi contrarium.

66. Singularem vero naturæ, aliud quidem secundum naturam erit, aliud vero contra. Alijs namq; naturis, præter naturam aliud accidit. Quodve huic naturæ consentaneum est, illi accidit alienum. Vitium vero naturæ dicitur, quod incidit præter naturam, privatio videlicet eorum, quæ secundum naturam.

67. Itaq; non est ipsa natura mala: Sed hoc naturæ malum est, non posse ea quæ naturæ sunt, perficere.

*Nec in corpori-  
bus.*

68. Proinde nec in corporibus malum aliquid est. Deformitas enim & morbus, pulchritudinis defectus, ordinis, ac debita constitutionis sunt privatio. Id autem non est omnino malum, sed minus bonum, Si enim plane deleantur forma, & constitutio, corpus quoq; ipsum interibit (*adeoq; morbus esse non possit.*)

69. Quod si quis dixerit, corpus esse ipsam per se necessariamq; vitiorum animæ causam, ideoq; naturam corporis esse malam: hinc erroris convincetur quod malum etiam in ijs sit, quæ corporis expertia sunt, ut demones. Malum autem mentibus hujusmodi, animabus & corporibus, est infirmitas bona propria accommodataq; consequendi, & ab eis prolapsio.

*Neg. in materia.*

70. Sed neq; verum est vulgatissimum illud, malum videlicet in materia esse, quatenus materia. Etenim hæc quoq; tum ornatus, tum pulchritudinis, tum formæ est particeps.

71. Si autem seorsum ab his (*forma, ornatu*) materia suapte natura qualitatem speciemq; nullam habet; quomodo materia aliquid facit? ut quæ patiendi quidem ex se potestatem habeat tantum.

72. Præterea, quoniam pacto materia malum est? Si enim nusquam ullo modo est, utiq; neq; bonum est, neq; malum. Si vero est *aliquid*, (quæ autem sunt, ex bono sunt omnia) ipsa etiam ex bono sit, necesse est. Atq; ita aut bonum mali efficiens erit: aut malum, erit bonum; ut, quod sit ex bono; aut malum boni efficiens: aut bonum (ut quod ex malo sit) malum: aut certe duo rursus principia erunt; atq; hæc ex alio rursus uno quodam principio dependentia.

73. Quod si materiam ad totius mundi expletionem absolutionemq; necessariam non difficeantur, quomodo materia est malum? Aliud namq; est malum est; aliud, necessarium. Quomodo vero bonus ex malo aliquid in lucem profert? aut quo pacto malum est id, quod bonum requirit? Fugit enim boni

naturam

naturam malum. Quomodo vero naturam & generat & alit materia, si malum est? Malum enim hoc ipso quia malum est, nihil procreat, aut alit, aut omnino facit, aut servat.

74. Si vero dixerint materiam quidem ipsam in animabus pravitatem nullam facere; Sed eas trahere tamen: quo nam quæso modo id verum erit? Multa enim earum sibi habent propositum bonum. Quod non fieri posset, si eas ad malum prorsus attraheret materia. Non igitur ex materia in animis est malum: sed ex inordinato in compositoq; motu.

75. Si vero hoc afferunt, eos materiam sequi omnino: materia autem instabilis: & tamen necessaria ijs, quæ per se consistere non possunt. Sed tum quæso, quomodo malum est necessarium? aut quod necessarium, quomodo malum?

76. Quin ne hoc quidem, quod dicimus *Privationem*, propria vi bono ad-  
verfatur. Universalis enim privatio vim prorsus nullam habet, Particularis autem non quatenus privatio est, sed qua ratione non est privatio omnimoda, vim aliquam habet, Et tunc, quatenus est defectus boni particularis tantum, nondum est prorsus malum. Si autem evadat universalis, tunc simul & natura perijt, & cum ea, etiam malum. *Sed neg; privatio per se mala.*

## *Corollaria de Mundo, ejusq; creatione.*

1. De Mundo considerationem instituire, Physici est: & quidem in parte Propria (contra quam sine ratione à Timpl. factum) post universalem illam corporis theoriam (quam male ad Metaph. ablegat Mirandulanus) ut tamen hec mundi, quæ mundus, tractatio, non sit generalis quadam, respectu corporum simplicium (quod multis alioquin in ore) nec à corporum simplicium consideratione diversa: quæ & ipsa potius subjecti (in hoc tractatu) rationem obtinent; nec mundi principia (nisi materialia) dici possunt.

2. Ex materia & forma constat mundus: Materia quidem, quing; corporum simplicium, quæ Elementa mundi ob id dicuntur: quibus cum essentialis forma una, qua mundus unum essentialiter fiat, nullo modo respondere possit, accidentalis querenda est: nec melior inveniri potest, quam ipsa illa ordinata structura: Licet alio sensu non male Averr. & Sueslanus Cælum & Denon mundi formam asserant.

3. Animatum esse; neg; veterum cniquam credimus, nec putridis suis argumentis persuadebit Patritius. Quantitate finita in certam figuram collectum; mobilem item in loco & sub tempore; quin & perfectum esse, si quis demonstrare velit, partes ex quibus constat, cælum præsertim adire necesse habebit; Harum enim ratione isthæc omnia mundo competunt. Ergo seorsim de mundo demonstrari non possunt.

*Unum;*

4. Unum esse & non plures, una & solida probatio hæc est, quod ad pluralitatem ejus astruendam neq; ratio ducat, neq; ullum à sensibus indicium. plures tamen esse posse cum asserimus, neq; Aristotelis rationibus pro unitate mundi terremur, Piccolominei etiam videmus: quod & principium petant, & illo etiam concessio non concludant.

5. Si queras, num mundus, & quomodo sit unum? Videbimus ante unitas ejus consistat in Indivisione ordinis omnium partium mundi ad primum cælum, sua continentia eas locans, & motu suo easdem regens ac vivificans. Neq; hic hærebit qui rerum multitudinem ad Unitatem revocare novit; & didicit Unum dicere indivisionem in se; quam demum consequatur divisio ab alio: sive alius mundus jam sit, vel esse possit.

6. Rationi & Imaginationi sue confusus qui extra mundum evolaverit, in unum quodam vacuog. reperto, si aliquid se deprehendisse existimet, inanis ipse ac veri v. cuius est.

7. De ortu mundi secundum fidem certa res est, Mundum à Deo, antiqua voluntate, de novo, in tempore, ex nihilo, libere creatum esse.

8. Hec sententia, & Aristoteli incognita est; nec ulli unquam Philosophorum cognita fuit, neq; asserita. Que etsi lumini nature non repugnant; ratio tamen sibi relicta, in ea ita versatur, ut neq; affirmationem temporaneæ creationis, neq; ejus negationem, apodicticis argumentis assequi valeat.

9. Comparationem tamen si instituas, affirmantium rationes, videbis plerasq; equivocationibus, inconsequentibus, petitione principij laborare: reliquas probabilitatem vix assequi: nullas, eam transcendere.

10. Negantium vero non sunt nullæ, in quibus lumine fidei accenso, etsi vitia, & falsæ suppositiones appareant: sine eo tamen nihil efficias.

11. Alia questio est. Num ab æterno esse potuerit? quam alibi tractabimus, ut appareat, aliquam creaturam (non independentem tamen) ab æterno, extra Deum, à Deo, libere, produci potuisse; sine fidei periculo, sine patrum, conciliorum, ipsius Lutheri, & magnorum Theologorum dissensu.

12. Hic (ut explicandi occasio sit) quero, quomodo agens æternam, in puncto illo indivisibili æternitatis suæ, produxerit aliquid in tempore?









Malum per se, neq; est causa, neq; causatum: Ergo. Ex bo  
Naturalis enim cuiusq; agentis intentio hac, simile sibi  
Nec unum contrariorum, est causa alterius per se. Per  
dens etiam calidum, est frigidi causa. Quod autem esse  
tium numero est, ejus debet esse causa per se.


Th. 4. Quod est de propria ratione boni, non pote  
producere & salvare, est naturale bono, ipsaq; generatio  
na est; E.

Th. 5. Quicquid est ipsa sua essentia tale, id etiam ta  
Et econtra. v. g. si aliquid sit per essentiam bonum, erit  
ipsa bonitas. Quicquid enim participat bono, dividitur  
patum; adeoq; totaliter bonum non est. Quae si ad  
bit, siquidem *malum* non est essentia vel quid per se existe  
lum dicitur, (v. g. diabolus,) non erit totaliter malum, se  
net boni, quatenus videlicet obtinet essentiam. Et sic qua  
tione, seu quatenus ens, bona est: mala autem quatenus  
toties à Sanctis patribus inculcatum, malum esse in bon  
physice vel moraliter aded malam esse & denominari, qu  
na non fit.

Th. 6. Et sic aliqua res, per naturam bona, per de  
optare potest. Omniaq; per appetitum convertuntur ad  
malus (inquit Orator) ut esse velit. Et Seneca: Nemine  
quiritia præmijs sine nequitia frui velit. Optabit ille, cui  
percutere quaesitum est, potius illa invenire quam eripere.  
illos honesti, & per se expetendi amor, cogeret moribus si  
riam querere. & nequitiam abdere, cujus fructus concup  
pudoriq; est. &c. Hoc argumento nobis fit, ex Bono, en  
Ideoq; bonum, esse universo Ente superius; quemadmodu  
corpora, non est corpus, ut hinc ex Schola Platonica loquitu  
Anuat Dionysius. Sed anne tum quod est super omnia *una*  
esse unum & bonum?

Th. 7. & 8. De primo Bono, cum dicitur *Non ens*, ne  
nationem quandam mente resolvimus: nempe quod fit  
rius. At cum de malo prædicamus *Non ens*, negatio resolv  
fectum, Pulchre ex Thoma Ficinus: Malum non pot  
ut sit existens (sic enim foret bonum) neq; pro fundament  
lum simpliciter (*nihilum* enim non potest fingi malum, id  
sed fundamentum habet in Ente aliquo, adeoq; bono, in  
quis bene se habendi defectus. Et quoniam malum sem  
putatur; & alius vero *nibili* conceptus sit; adharere item, à

A 3



077

Image Engineering - Scan Reference Chart - TE203 - Serial No. 077